



11  
1.  
2.  
3. 2  
4. 1a  
5.  
6.  
7.  
8.  
17  
1. 9  
- Aug





1720.

1. Bocellius, Petrus: De chylis.
2. Christianus, Johannes Fidenicus: De examine testium  
et periculum rei memoriam.
3. Hartog, Nicolaus Caris l'ephe: Commentatio juridica  
ad M. Fabri Quinliani declamationem I.
4. Salzmanus, Johannes: De dubia spirituum animalium  
existentia
5. Scherzus, Johannes Georgius: De summis ac subalter-  
nis imperii Romano-Germanici iudiciis et  
eorum concurrentia.
6. Scherzus, Johannes Georgius: De compensatione.
7. Scherzus, Johannes Georgius: De alienatione pignorum.
8. Winklerus, Jo. Ludovicus: De praecedentia liberarum  
civitatum S. R. imperii praenobilitate immunitate

1721.

1. Feltyus, Johannes Henricus: Austria princeps l. e. de  
negotiorum unum Austriae junctis praerogativis Austriacis.

1724.

2. Fontaine, Andreas, de: De remediis fidejussoris  
contra debitorem principalem competentibus.
3. Hayange, Joh. Baptista Wendel, de: De deposito juris  
sive consignatione.
4. Linckius, Terminus Burkhardus: De his, qui renunciant  
evictionis praestatiōni.
5. Senarius, Johannes Georgius: De pignore legali.
6. Wiegner, Johann: Specimen usus matheseos in rebus  
civilibus circa modum computandi quarantam Falciāam I.
7. Winter, Johannes Franciscus: De prerogativa Rectorum  
I. R. F. circa acquirendas absque specifico Imperatoris  
consensu terras imperii.

1722.

1. Artopaeus, Jacobus Christophorus: De restitutione et restitu-  
tione bonorum uxoris in societatem conjugalem illa-  
torum



1722.

3. Riccius, Franciscus Christianus : De dominio

I.





1. ...  
2. ...  
3. ...  
4. ...  
5. ...  
6. ...  
7. ...  
8. ...





0-15



AUSP

DN.

Med.

Chyr

FACUL

30

PHILIP

DA

Impr





2. D. 3. V.  
DISSERTATIO MEDICA  
CONTINENS THESIS

# CHYLO

AUSEPTICIS ET ALIIS ARCHIATRO  
DN. JOHANN. BOECLERI  
Med. & Chir. Magist. Bonn. atque  
Chylo...

... MEDICAE DECANI  
... ILLI

... MANNIS  
... GENSIS.

...  
... Typogr.



DIS

C

AUS

DN

Med

Chy

FACU

PHI





178

I. N. F.

1720, 3.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

Exhibens

COMMENTATIONEM JURIDICAM  
A D

M. FABII QUINCTILIANI

DECLAMATIONEM I.

QUAM

SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS

ex Indultu

MAGNIFICI JURISCONSULTORUM  
IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
UNIVERSITATE ORDINIS.

PRO LICENTIA,

Summos in utroque Jure Honores & Privilegia Do-  
ctoralia rite consequendi

SOLENNI *Eruditorum censura*  
submittet

NICOLAUS CHRISTOPH. HERTZOG  
Buxovilla-Hanoicus.

Die 15. Februarij Anno MDCCXX.

ARGENT. Typis SIMONIS KÜRSNER, Cancellar. Typogr.

62





DEO,  
PATRIÆ, PARENTI-  
BUS, PATRONIS  
ET  
AMICIS SACRVM.

NOBILISSIMO, DOCTISSIMO, ATQUE  
POLITISSIMO

DOMINO

NICOLAO CHRISTOPHORO  
HERTZOG.

S. P. D.

JOH. HENRICVS  
BOECLERVS,

U. J. D. & Juris Publici Professor.

h. t. Facultatis Juridicæ Decanus.



Um in eo jam sis, ut Cathedram In-  
auguralem conscendas, officii mei  
esse arbitror, ut, quamvis minime  
rogatus fuerim, sponte tamen Te  
publico præconio & applausu prosequar. Quod-  
si enim egregiis juvenibus, ad preces ipsorum  
non facile vitæ studiorumque testimonia denegantur, quidni etiam sponte Te celebrarem, qui  
in Juventute Academica, ingenio, eruditione, mo-  
rum-



rumque honestate ac elegancia, pares habes paucissimos? Recordantur summa cum voluptate omnes, quos in Jurisprudencia nactus eras, Doctores, ejus temporis, quo ab ipsorum ore diligentissimus auditor pependisti: & nunc inprimis summopere lætantur, dum labores suos adeo feliciter cessisse observant, ut Te tanquam singulare Universitatis nostræ ornamentum bonarum artium cultoribus Patronisque ostentare queant. Scio modestiam Tuam non pati, ut sigillatim virtutes Tuas enumerem, & multis verbis Te prædicem; interest quoque Tua ne id fiat, nolles enim elogia mea de adulatione suspecta esse. Nec opus est Tibi encomiis meis, sat laudum Tibi pariet elegantissima, quam publicæ Disquisitioni subjicis, Dissertatio Tua. Nullus enim dubito, quin veri ingeniorum æstimatores, si eam accurate pependant, facile ex ungue deprehensuri sint leonem. Persuasissimus etiam sum, ex omnibus illis eruditis viris, qui eo die quo eandem defendes, ad Te audiendum concurrent, neminem fore, qui non existimet, jure meritoque me fecisse, quod non passus fuerim, Te, tanquam præstantissimum Themidis alumnum sine literis hisce testimonialibus ex Universitate nostra discedere.



CO  
M.



do j  
test  
RIC  
ria,  
clam







Q. D. B. V.

COMMENTATIONIS JURIDICÆ  
AD  
M. FABII QUINCTILIANI  
DECLAMATIONEM I.

PRÆFATIO.



*NON dubito, fore haud paucos, qui hoc scribenæ genus, cum & usitatum non sit, & parum videatur utile, quam maxime ducant reprehendum. Et usitatum quidem non esse ipsemet lubens fateor, cum nemo hæcenus, quod sciam, ullam in eo operam collocarit. Quod tamen non ideo factum crediderim, quasi parum secum utilitatis ferat; nihil enim exercendo juvenis ingenio, & suppeditanda disputandi materia inveniri potest aptius. Agnovit id Vir de toto orbe literato meruissimus VL-  
RICVS OBRECHTVS, cujus sanctior est apud omnes memoria, quam qua ullo temporis lapsu queat obliterari. Edidit ille Declamationes Quinctilianæ cura sua illustratas, casus in iisdem con-  
rentos*



rentos dignos esse ratus, qui ad disputandum proponerentur, ipse quoque, ut accepi, propositurus, nisi morte preventus, negotiisque gravissimis prepeditus aliis id opere relinquere coactus fuisset. Reliquit autem digno se quondam discipulo JOH. HENRICO FELTZIO, quem ob summum, quo a teneris præditum, sciebat, ingenium immenso huic operi parem omnium ille optime eo magis norat, quo clarius ex composito ab eodem istius libri indice locupletissimo intelligere potuit, quantum ille Declamationum Quintilianearum non verba modo, sed sensum quoque imbibisset. Noluit tamen & ille exordiri telam, quam ob alia gravioris momenti negotia non potuisset pertexere; Quamvis, si cum numero Declamationum numerum habitatum Ejus sub Præsidio Dissertationum compares, dubius merito hæreas, uter major sit. Verum liberam cuique Respondenti materia electionem relicturus noluit hanc obrudere invitis, nunquam quippe imperiosus, nisi cum vel justa se laude affici vetat. Hæjus ego Viri non hospitio tantum, sed convictu quoque per biennium fere usus sum, Ejus quoque suavis hanc, quam nunc exhibeo Dissertationis Inauguralis materiam selegi. Quamvis autem hæc omnia, satis, ni fallor, ab aliorum eandem calumniis vindicent, merito tamen vereor, ut multorum expectationi in ipsa tractatione minus satisfecerim. Verum non scribo, ut scribam, sed ut disputem; Hic quippe unicus scriptionis hujus finis est, eo facilius, uti spero, obtinendus, quo ampliorem illa disferendi campum apertura est, ipsam Declamationem Dissertationi meæ ut premitterem, opus esse non duxi, tum, quia prolixior illa est, tum quia omnium in manibus versatur. Quodsi tamen, Benevole Lector, vel in hoc, vel in aliis peccasse Tibi videar, eo facilius condonaturum mihi confido, quo citius monentem secuturum me polliceor.

Ingressus



INGRESSUS  
DISSERTATIONIS.

§. I.



**I**N causis criminalibus judicare & facil-  
limum est, & difficillimum; Quodsi  
enim delicto evidenter probato con-  
fessus est reus vel convictus, nullæ aliæ  
judicis partes sunt, quam ut condem-  
net. Plus autem difficultatis in illis de-

lictis subest, quæ ita patrantur, ut soli auctori auctor  
notus, & in quibus verendum est judici, ne aut inno-  
centem trahat ad supplicium, aut nocentem absolvat,  
quamvis, cum inter duo mala minus eligendum, po-  
sterius eligere tutius sit. Quo autem delictum quod-  
que gravius, eo evidenciores quoque ad convincen-  
dum reum probationes requiruntur. Id quod in iis  
præcipue delictis verum est, quæ tantæ sunt atrocita-  
tis, ut, si commissa nunquam fuissent, committi an-  
unquam possent, merito dubitares. Exemplum in par-  
ricidio; Quo delicto quid gravius? Quid magis abo-  
minandum, quam vitam adimere illi, qui dedit? Cau-  
te itaque hic procedendum judici, ne innocentis san-  
guinem vindicaturus sanguinem innocentis effundat.  
Quodsi ramen ullis in delictis præsumptioni locus,  
sanè in illis est, quæ domi, idque noctu fiunt; horum  
enim probationi multum haud raro obscuritatis ipsa,  
qua patrantur, nox solet affundere: Casum ejusmodi  
singularem exhibet *M. FABIVS QVINCTILIANVS* De-  
clamatione I. quem exercitii Academici loco exami-  
nandum mihi proposui,

*l. s. pr. ff. de  
pæn.*

*l. s. §. 6. C. de  
repud. Me-  
noch. de præ-  
sumt. l. 1.  
qu. 18. n. 11*

A

Traçata



§. II.

*Præfat. pag.*  
352.

Tractata sit hæc Declamatio, an colorata, genuina itidem an adulterina, multa hic præfari nihil attinet. Vulgares tamen hæc, *Cæci, Parietis dealbati, Miliiis Mariani* declamationes (de quarum summis & argumentis nusquam in Institutionibus meminit Quintilianus) suppositas & adulterinas esse cum plerisque aliis censet *P. Arodius*. Nec hujus loci est quæstio, an eundem hæc Declamationes auctorem agnoscant, quem Institutiones Oratoriæ. Sunt, qui affirmant, sunt, qui negant, & ipsi quidem negantes in diversas quoque partes abeunt, aliis patrem esse, avum vero aliis contententibus. Verum hæc aliis discutienda relinquo, mihi vel tetigisse sufficiat. Id potius agam, quod agere constitui, examinandum nimirum sumam ac decidendum ipsum Quintilianæ Declamationis casum, quæ hic est.

§. III.

Titius Cajum filium cæcum hæredem instituerat, postea induxit ipsi novercam, & in secreta domus parte juvenem seposuit. Titius noctu in lecto juxta uxorem jacens occiditur, posteroque die invenitur habens gladium filii defixum in vulnere, pariete ab ipsius ad filii cubiculum vestigiis palmæ cruentato. Quæritur jam, uter parricidii reus dicendus sit, uxor an filius?

§. IV.

Qua in re definienda ut ordine procedam, in tria Capita totam hanc tractationem dividam, in primo ad ductum ipsius Quintiliani de causa filii acturus, in secundo de novercæ, rejectis in tertium ipsa casus decisione & quæstionibus quibusdam aliis eo pertinentibus.

CA-



CAPUT. I.

*Sistens causam filii de parricidio a nocentia accusati.*

§. 1.

**E**Xaminaturus hoc in capite rationes a Quintiliano in causa filii adductas, simul operam dabo, ut separatis ab invicem argumentis Juridicis & Oratoriis intelligatur, quæ ratio sit, quis color. Color est ab initio statim, ubi ~~negaverit~~, seu præteritione usus Quintilianus, *potuisse forsan, ait, filium pro sui defensione allegare, se cum oculis amisisse cogitationum omnium remeritatem.* Quasi vero ab oculis penderent cogitationes hominum, & quasi idem cæco esset cæcitas, quod innocentia. Delicti capax est, qui doli vel culpæ, quique & voluntatem delinquendi habet, & facultatem. Omnia hæc in cæco reperiri nemo negaverit. Et voluntas quidem oculis non tam corporis, quam intellectus ad agendum opus habet, ita, ut ii demum, qui intellectu cæci sunt, quales furiosi, voluntate censeantur destituti. Nec delinquendi facultate caret cæcus, modo ad illa delicta restringatur hæc assertio, quæ visum ad sui perfectionem necessario non requirunt.

§. 18. *Inff. de Obl. que ex del. l. 13. §. 1. ff. de dolo.*

*l. 40. de R. I. l. 5. §. 2. ad L. aquil. l. 3. §. 1. ff. de injur.*

§. II.

Majoris momenti illa ratio est, quæ a moribus desumitur. Præva enim hominum actiones cum ex pravis voluntatis propensionibus ut plurimum proveniant, eo sane quisque melior, eo probior habendus est, quo meliores, quo probiores voluntatis ejus propensiones sunt. Has autem, cum ad secreta cordis humani

A 2

mani



mani adyta penetrare haud liceat, ex motibus, per quas se exerunt, optime colligere est. Hi autem, sicuti si semel boni sint aut mali, non facile mutantur, ita semel malus semper malus praesumitur, & multo magis semel bonus semper bonus praesumitur, donec probetur contrarium. Mores autem, ut praesumptionibus locum faciant, probari debent. Id quod variis quidem modis fieri potest, mihi tamen eos hic allegasse sufficere, qui casum nostrum propius contingunt. Horum tres praecipue invenio; petitur enim probatio morum cœci nostri vel a vita antea facta, vel a testimonio patris, vel a conversatione. Primum quod attinet, utitur illo ipse Quinctilianus, dum interrogat, *quid ante filius perdidit, quid flagitiose, quid impie fecerit, per que se parvulam crimina promiserit?* cum, uti Plinii verba habent, *omnes turbæ seditionesque ab iis metuendæ expectandæque sint, qui pueritiam adolescentiamque luxuriose transigere.* Quantam autem vitæ antea factæ jura quoque rationem habeant, ex multis, si opus esset, exemplis demonstrari posset. Sic gravius punitur, qui virginem aut viduam honeste antea viventem vitiat, quam qui cum meretrice concumbit. Et tantam quidem ob honestam virginis aut viduæ vitam inter utrumque delictum, quod tamen re bene considerata idem est, differentiam constituerunt Juri Romani, ut illa non pœna tantum, sed ipso etiam nomine inter se differre voluerint, stupri alteri, alteri fornicationis nomine imposito. Ita etiam viri, qui vitæ se integritate omnibus commendavit, testimonium omni exceptione majus est, & semiplenam probationem facit, cum secus se res habeat in testimonio viri moribus perditum, quippe quod nec omni exceptione majus, nec semiplenam facit probatio.

reg. 8. de R. l.  
in 6. l. 7. §.  
3. ff. de accu-  
sat.  
C. ult. X. de  
presumt. l. 5.  
§. 6. ff. de Re  
militar.

Parag. 2. 28.

Carpz. part.  
1. Const. 23.  
def. 4.  
Carpz. d. C.  
def. 3.



bationem. Eo autem integrioris vitæ videtur fuisse filius cæcus, quo clarius id testimonio suo pater confirmavit, omnium bonorum hærede instituto eo, qui spem successione obsequio sibi jamdudum paraverat, certe non instituturus, nisi pietate se ipsi commendasset. Aut enim plane exhæredasset, aut saltem non ex asse scripsisset hæredem, sed aliquam potius hæreditatis partem assignasset uxori, quæ, ut utar verbis *l. 4. ff. de inoff. testam. nonverbalibus delinimentis instigationibus*ve facile forte corrupisset maritum, si non majorem pietatis filii, quam blandimentorum uxoris rationem habuisset. Haud spernendum sane hoc paterni testimonii exemplum, eo validius, quo major illius injure solet esse auctoritas; *testimonium enim paternum respicere satis iniquum est.* Quod si vero patri filium prodigum asserenti a magistratu habenda fides est, quidni multo magis probum dicenti? Et sane, si nihil aliud, ipsa tamen necessitas probum fecisset; Cæcus erat, adeoque tantum a malitia, quæ tanquam contagio quædam ex aliorum ut plurimum consortio contrahitur, remotus, quantum ab ipso consortio. Sicut enim bonos mores haud raro corrumpit conversatio cum malis, ita non facile potest corrumpi is, qui sibi relictus neminem circa se videt, paucos audit.

*l. ult. C. ad Scdm. Macedon. l. per. §. ult. ff. de Curat. furios.*

§. III.

Quemadmodum autem delictis ut plurimum tanquam instrumentis fortunæ utuntur pravi homines, ita non facile præsumitur delictum commississe, qui non tantum nihil inde lucri, sed plurimum potius damni persentisceret. Utitur hoc argumento Quintilianus, dum *infeliciorem, ait, filium esse, quod patrem amisit, quam quod oculos, & recte quidem utitur; Qui-*

libet



libet enim præsumitur commodi sui promovendi dam-  
 nique avertendi studiosus, cum hominum voluntas  
 semper feratur in bonum. Et nemo sane tale faci-  
 nus aggreditur, ex quo summum sibi imminet malum,  
 nisi tanta sit spes commodi, quantus vix mali metus.  
 Ast, quid quæso, commodi, ex hoc parricidio in filium  
 cœcum redundasset? Acquisivisset, dices, paternam hæ-  
 reditatem; A noverca, quæ minus ipsi bene cupiebat,  
 se liberasset, aut supplicio, quod vitæ pertæsus forte  
 quæsit, miser esse desisset. Verum hæreditate pa-  
 terna non iudigebat filius vivo patre. Plus ipsi pater  
 erat, quam hæreditas. Pater, qui omnia ipsi necessa-  
 ria suppeditabat; pater, qui ab injuriis novercæ filium  
 cœcum vindicabat; pater denique, qui *filio tristitia sua*  
*solatium merenti optime semper consulebat.* Sed ad quid  
 tandem hæreditatem paternam, si vel maxime habuisset,  
 impensurus fuisset cœcus? An ad luxum? Certe  
 parum luxuriantur, qui in secreta domus parte seposi-  
 ti sibi quasi solis semper fuere relictæ, & qui in ipsis la-  
 chrymis omnem fere a teneris delectationem potuere.  
 A novercæ injuriis ut se liberaret filius cœcus, patris  
 cæde opus non habebat; æque enim facile novercam  
 occidisset, ac patrem. Sed ideo forte patrem neca-  
 vit, ut noverca videretur necasse, utque adeo de illa  
 sumeretur supplicium, cum, si novercam statim pere-  
 misset, sceleris suspicione facilius potuisset gravari.  
 Verum, si voluisset filius, ut noverca videretur commi-  
 sisse parridium, in ejus potius partem suspitionis ar-  
 gumenta transtulisset, nec ita fecisset, ut ipse posset vi-  
 deri fecisse, adeoque non reliquisset in vulnere gladium,  
 quem facile potuisset extrahere, nec commissi à se par-  
 ricidii indicia notasset in pariete, cum potuisset aut ter-  
 gere

*L. un. in fin.  
 C. de his, qui  
 ante apert.  
 Sabb.*



gere manum, aut tegere. Nemo porro præsumitur minus malum studio cum majori commutaturus. Liberasset quidem se cæcus patrem occidendo ab injuriis novercæ, sed simul privasset beneficiis a patre sibi in posterum exhibendis. Quodsi autem ad calculum res vocanda, & insituenda comparatio foret inter beneficia patris & novercæ injurias, illorum sane, quam harum major deprehenderetur numerus, cum majorem pater occasionem habuerit beneficiis cumulandi filium, quam noverca injuriis; in secreta enim domus parte sepositus rarissime a noverca conspici- batur. Nolebat noverca videre privignum, non aude- bat privignus se exhibere novercæ. Satis id testatur secretum, quod a patre accepit filius. Et parum certe noverca gestiebat videre, quem maluisset ignorare. Restat, ut dispiciamus, annon vitæ forsân tædio ductus tantum facinus patrarit, supplicio scilicet finiturus miseria- m. Sed quam parum & hoc sit vero simile nemo non videt. Quodsi supplicium quæsisset cæcus, non negasset facinus, non accusasset novercam, sed confes- sione potius mortem, quam appetebat, sibi accele- rasset; novercam quoque sibi jam pridem exosam potius occidisset, quam patrem nihil tale meritum. Quid? quod ad finiendam vitæ miseriam aliena cæde opus non habuisset, suffecisset propria, quidni itaque sibi potius (de Ethnico enim loquor) violentas manus in- tulit?

§. IV.

Licet autem, uti supra jam innuere cœpi, malitia hominum & calliditas conversationi cum aliis ut plurimum recte adscribatur, haud tamen negaverim, dari prudentiam aliquam naturalem & homini quasi con- natam,



natam, qua sui ipsius conservandi studiosus omnia, quæ ad sui destructionem facere possunt, prævideat, evitet, repellat. Hinc qui de scelere cogitat, cogitat & de refugio, vel saltem suspicionis argumenta studiosè a se avertit. Duplex hoc argumentum est; facit enim tum ad defendendum filium, tum ad accusandam novercam; *Non esse cæci scelus difficultus probaretur, nisi omnia sic acta essent, ut fecisse cæcus videretur*, ait Quintilianus. Et certe, qui adeo præsentis animi est, ut cæcus patrem juxta uxorem in lecto jacentem occidat, ut uno vulnere scelus perficiat, & ut alia, quæ vix videns posset, peragat, ille satis ostendit, prudentiam sibi non deesse, & eadem se cum arte posse non videri parricidam, qua fuit. Tantum itaque abest, ut inventus in vulnere gladius filii, vel cruentatus palma paries parricidii suspectum faciant cæcum, ut summa potius innocentia ejus argumenta sint. Et illa quidem suspicionis argumenta eo facilius potuisset evitare, quo magis prævidere poterat, novercam illis contra se usuram, iisque si uti non posset, nullis posse. Quantum vero hæc omnia contra novercam faciant, facile quilibet intelligit, & ipse quoque ulterius ostendam, ubi ad Cap. II. pervenero.

## §. V.

Sicuti autem occasione oblata sapius agunt, qui acturi alias vix fuissent, ita non facile agunt, quibus commoda agendi deficit occasio; quæ enim extrinsecus accedit loci, temporis, aliarumque rerum opportunitas, interiora mentis nostræ cogitata, ut in actum erumpere queant, haud parum adjuvant. Et est illa quasi brachium, quo ad expedienda facinora plerumque utuntur.



utuntur delinquentes. Hinc recte ad defendendum filium cœcum & ad ostendendam parricidii ab ipso committendi difficultatem allegat Quintilianus, quod *sceleri nox potissimum fuerit electa, quo tempore invenire maritus sine uxore non potuerit.* Et sane eo minus verisimile est, filium hoc potissimum tempus ad parricidium fuisse electurum, quo magis scelus potuisset differre, & opportunius tempus expectare; nam cum domi patrandum scelus est, non facile deficit opportuna occasio. Estimanda autem hæc parricidii noctu a cœco committendi difficultas non ex obscuritate noctis; sic enim nec interdiu potuisset esse parricida, cum quævis cœco dies pro nocte sit, sed ex præsentia novercæ, quam si minus amor erga maritum è somno suscitasset, suscitasset forte odium, quo privignum prosequeretur, & maxima illa, qua jam diu flagrabat, miserii perendi cupiditas. Quantæ hic vel videnti superandæ difficultates? Et tamen quæ videnti sunt facilia, cœco sunt difficilia, quæque illi difficilia, huic tantum non sunt impossibilia. Eundem primo per longum illud spatium, quod cubiculum filii separabat à cubiculo patris, id quod sine rectore facere vix potuisset, intrandum deinde ipsum sine ullo strepitu cubiculum, ne vel senex pater excitaretur, vel noverca. Et hæc quidem sunt ex difficillimis minus difficilia. Unde jam sciet, quo dirigat ferrum? quem potius feriat ex duobus? Dicitur tamen uno ictu scelus peregrisse, relictoque in vulnere gladio sine strepitu rediisse unde venerat. Sunt hæc talia, ut fieri posse, quam facta esse potius probari debeat; adeo, ut si vel ipse cœcus parricidam se dixisset, non facile tamen habenda ipsi fides fuisset, non eam tantum ob rationem, quod pro-

B

priam



priam turpitudinem alleganti credendum non est, sed quia incredibile cœcum nostrum commississe parricidium.

§. VI.

Quod gladius adolescentis in vulnere relictus fuerit, cum in cæde nemo utatur ferro, nisi alieno, id ad filium defendendum parum facere videtur, & color potius est, quam ratio; cœco enim proprii tantum ferri copia est, cum alienum auferre non possit, quia non videt, nec facile periturum crediderim, quia nimis se suspectum redderet. Sed si vel maxime alieni ferri copiam habuisset, illo tamen forte non fuisset usus; sciebat enim ferro ut plurimum alieno uti delinquentes, maluit itaque ipse proprio uti, ut eo minus videretur commississe delictum, & ut eo facilius suspicionis argumenta in novercæ partem transferret. Hæc tamen sicuti nihil aut parum faciunt ad defendendum filium, ita nec ad accusandum, cum semper obstant rationes supra pro ipso allegatæ.

§. VII.

Quod uno vulnere peractum a cœco scelus sit, id & factu difficillimum est, & creditu; Licet enim improviso interdum accidat, quod accidere posse dubitabamus, cœcus tamen, si vel maxime uno ictu patrem peremisset, iterum percussisset, cum aliquid se incredibile fecisse credere vix potuisset. Quod si enim videnti, imo, ut *Quintilianii* argumento utar, *carnifici, cujus tamen exercitata manus homicidium velut quoddam genus artis exercet, raro contingit non nisi semel ferire, quamvis ipse cervicem componat, multo minus credibile est, cœcum uno statim ictu animam feruisse, cum præsertim ob trepidationem, quæ malæ conscientia plerumque*



que comes est; facile potuisset errare manus feriens, & forte occidere novercam juxta maritum in lecto jacentem. Hæcæ difficultates si verum est superasse filium cœcum, intrasse scilicet cubiculum sine strepitu, ita, ut nec pater excitaretur, nec noverca, ad lectum accessisset, patrem uno ictu peremisset, & multa alia ita egisset, ut facile deprehendi potuisset, ejus sane oportet fuisse audaciæ, cujus vix ullus hominum capax est. Sed venit nunc in mentem, scivisse forte filium, non suscepturum iri nec patrem, nec novercam, & utrique porrexisset poculum quoddam somniferum. Verum & hoc cœco fuisset difficillimum, cum parare non potuisset, aliena ad id ope non facile usus, ne delicti se cujusdam suspicione gravaret. Et si vel maxime parasset, vix tamen potuisset porrigere, novercæ imprimis, cui invisior ille erat, quam ut poculum ipsa fuisset acceptura. Sed dono etiam accepisse & accessisse cœcum ad thorum, patremque peremisset ita, ut nihil eorum sentiret noverca, uno tamen ictu ut perimeret, poculum illud non poterat efficere; Quid? quod eo magis iterum percussisset, quo securior de poculi sui effectu esse potuisset. Sed ideo forte iterum ferire noluit, quod verebatur, ne extracto è vulnere gladio fluminis instar efflueret calens ille cruor, novercamque excitaret, non ita effluxurus, si eodem, quo factum est telo vulnus clauderetur. Et hæc forte ratio quoque est, cur, cum auferre posset, reliquerit gladium, verebatur enim, ne per calentem illum cruorem prius excitaretur noverca, quam ipse aufugisset. Sed nec ad hunc nodum solvendum Alexandro opus est; tantum enim abest, ut contra filium modo dicta faciant, ut potius ejus inde defendi possit innocentia. Nam cum



ita clausum fuerit vulnus, ut nihil aut parum ex eo sanguinis potuisset effluere, quomodo, quæso, palma filii cruentata notari potuisset paries a cubiculo patris ad cubiculum usque filii ?

§. VIII.

Effet quidem nunc, ut ad ductum Quintilliani illa hic argumenta examinarem, quæ ex testamento paterno vel pro filio, vel contra eum peti possunt. Verum cum hac de re supra jam, licet brevissimis actum fuerit, fusius illa repetere nihil attinet; Quantum tamen contra novercam ista faciant, in Capite sequenti paucis ostendam.

§. IX.

Hominum autem cum tanta sit inconstantia, ut non singulis modo diebus, sed singulis fere momentis animum mutant, facile patet, colorem potius, quam rationem esse, quod Quintilianus pro filii innocentia adducit, gladium, quo occisus est pater, in cubiculo suo semper habuisse filium, quem ille non ita putat fuisse habiturum, si patrem eo constituisset occidere. Verum, licet eo tempore, cum gladium in cubiculo poneret, patris interficiendi animum non habuerit, postea tamen forte habuit: Cæcus enim æque ac alii homines inconstans est. Quæ quidem hominum inconstantia notior est, quam ut multorum eam auctorum testimoniis comprobare necessum sit; Unicum tamen tantum hanc in rem Auctorem Gallum allegasse forte non pigebit, qui idiomate suo elegantissime rem ita expressit: *L'Homme ne se peut définir au juste. Ce que j'en dirois aujourd'hui, demain ne luy ressembleroit pas, à moins que je ne l'appellasse le plus variable de tous les êtres,*

*Pascal dans  
ses Pensées  
pag. 1.*



éres, la plus inconstante de toutes les Creatures, id est, homo recte definiri non potest, cum, quæ de ipso hodie prædicarentur, eras eidem haud convenirent. Vix tamen a vero aberraveris, si omnium entium mutabilissimum, omnium creaturarum inconstantissimam dixeris. Videntur præterea hic repeti posse, quæ supra de proprio gladio dicta sunt, quod scilicet, alium habere non potuerit, quodque gladio tota domo notissimo studio forte usus fuisset, quia nemo credebatur usurum.

§. X.

Non est, quod tantum miretur, & incredibile putet Quinctilian<sup>9</sup>, cæcum sine rectore, sine duce ex penatium parte secreta per tot offensam limina errasse, cum haud infrequens sit, ut defect<sup>9</sup> oculorum alia ratione abunde compensetur. Visi enim sunt cæci, qui venationis duces existerent, quique pecuniam in agro a se defossam ipsi recipere. Rarum quidem hoc est & fere inauditum; neminem tamen latet, plures repertos fuisse cæcos & adhucdum reperiri, qui in ædibus, imo totis interdum in oppidis nullo profus duce opus habent. Et licet nec hoc sit universale, cum tamen sæpissime contingat, & in cæco nostro forte etiam contigerit, tantam Quinctiliani argumento vim inesse haud crediderim, quantam quidem ipse eidem videtur tribuere. Per domum autem si sine duce errare potuit cæcus, potuit etiam per excubantes servulos, & cum ferro quidem, quod facile poterat veste aut alia quavis ratione tegere; Quo non viso de nullo ipsis crimine fuisset suspectus.

*Vid. Camer. op. hor. sub. Cent. 2. c. 8.*

§. XI.

Cum ad novercam occidendam non plus virium,  
NON



non plus audaciæ, non plus impietatis, imo ne tantum quidem requiratur, quantum ad patrem interficiendum, nullum, credo, dubium est, quin novercam occidere possit, qui patrem potest. Ex cæde tamen patris novercæ occidendæ necessitatem cum Quintilianô haud deduxerim, non enim adeo *incredibile est, ut quis occiderit patrem, pepercerit noverca*. Patris in cæde inveniebat ille quicquid ex novercæ interitu poterat sperare commodi, non eodem plane modo in hoc inventurus, quod ex illa potuisset consequi. Novercæ quidem cædes ab ejusdem ipsum liberasset injuriis, sed mors patris simul afferebat hæreditatem. Et utrumque porro occidere quid aliud fuisset, quam omni se defendendi non ratione tantum, sed colore etiam privare? Sui causa commississet parricidium, sui memor relicturus etiam fuisset, quam de illo accusaret. Nichil itaque mirum, quod patrem occiderit, pepercerit novercæ. Sed manus forte non minus ac oculi cæca aberravit, & novercam percussura patrem percussit, Novercæ tamen cæde opus non habuisse cœcum, modo dictum est; eadem quoque hic, quæ in patre occidendo, recurrunt difficultates, & sicuti, ut supra dictum, patri interficiendo obstabat præsentia novercæ, ita novercæ perimendæ obstasset præsentia patris.

§. XII.

Causam filii hoc in capite pro viribus agenti adductum Quintilianiani examinandæ nunc veniunt rationes, quæ misero illi objiciuntur. Ad duo autem illa præcipue referuntur. Prius est, quod gladius cœci in vulnere relictus sit; sed cum de hoc supra jam aliquid tetigerim, posterius tantum hic examinare constitui.



fitui. *Spatiosissimus*, ait *Quintilianus*, *paries & longissimum domus latus habuit notas sanguinis, quas reliquisse videretur manus revertentis.* Videndum hic ante omnia foret, an per domum ire potuerit cœcus sine ducē; quod si enim ire non potuit, redire nec potuisse, nec opus habuisse crediderim. Hujus tamen rei cum nullum in tota hac Declamatione appareat vestigium, nec conjecturis id assequi liceat, cumque supra jam adstruxerim, contingere facile potuisse, ut sine ducē per domum iret cœcus, illi rationi non inhæreo; suppetit enim aliud argumenti hujus refutandi medium, nec longe illud arcessendum. Quid? quod nulla potius refutatione, opus sit, cum per alterum illud, quod contra filium allegatur, argumentum hocce penitus destruat. Cum enim relictus sit in vulnere gladius, non tantum inde sanguinis potuit effluere, ut eo notaretur paries spatiosissimus. Ad refellendum porro adductum contra filium argumentum, & ad ostendendam miseri cœci innocentiam dicerem, nimium hæc suspecta esse, improbe assimilata; dicerem, cruorem, quoties admotus est, transire, aut in manu tarde reptantis arescere, adeoque debuisse proximam partem a cubiculo patris habere plurimum sanguinis, sequentem minus, tertiam minimum, ultimam nihil; dicerem porro, palmam non potuisse cruentari, cum plicetur in capulo, & dum telum occupat, claudatur, necesse itaque fuisse, exteriorē ut parte manus respergeretur. Hæc omnia, inquam, dicerem, nisi ipse diceret *Quintilianus*. Hisce tamen argumentis suam eo magis puto constare veritatem, quo minus ab ipsa rei natura discedunt.



§. XIII.

Aut valde expeditum fuisse coecum necesse est aut recte *stupet* Quinctilianus, *omnis privignum illa nocte fecisse.* Expectandum quippe erat altum noctis silentium, expectandus omnium fervorum somnus. Tunc demum sine duce se confert in medium, veluti navis in altum ejecta nulloque instructa velo quamcunque exceptura tempestatem. Non currit, sed tarde reptat, stat interdum, ut audiat, annon ipse a quocumque audiatur, nunc it, nunc redit, levissimo quoque strepitu repellitur. Dum ita fluctuat, magna pars noctis transit, & multa tamen restant facienda. Cubiculum intrat, cum jam cessaret arctior ille somnus, qui prima noctis parte homines sibi complecti. Plus nunc, quam antea timet, nullam tamen nisi proprium strepitum audit, & in via quidem incertus, nunc quasi certus de ictu ad thorum accedit, patrem uno vulnere perimit. Redit jam relicto, quem tamen, in manu tenebat, gladio a nemine exauditus, cum omnes qui in domo erant, otiose in utramvis aurem dormirent, somnumque in diem extraherent. Hæc si fidem non superant, nihil superat. Alii tamen observationi locum suppeditant; peracto enim facinore cum satis intelligeret coecus, non multum sibi ad redeundum temporis superesse, festinavit reditum, totusque in eo occupatus oblitus forte est gladii e vulnere extrahendi, manusque veste tegendæ. Sed qui tantum facinus aggreditur, non de ratione tantum expediendi sceleris, sed de avertendis quoque a se expediti suspicionibus cogitat, omnia, quæ tum in ipso facto, tum post factum sibi agenda sunt, sollicitè prius expendens. Et certe, si satis parricidæ temporis restabat ad redeundum,



undum, satis quoque restabat ad extrahendum e vulnere gladium manumque veste tegendam, cum ad hæc facienda diutius morari non habuisset necesse. Et si vel maxime manum cruentatam parieti applicasset, tanta tamen cum arte eum notare haud potuisset; traxisset enim manum, non hinc inde ita notasset, ut digitos ubique exprimeret, ne, quod supra dictum est, hic repetam, quod scilicet per tam longum spatium sanguinem non potuisset perducere. Notæ itaque cruoris in pariete apparentes sicuti oculis corporis facile poterant perspicui, ita qui mentis, ut ita loquar, oculis illas probe inspexerit, facile videbit, quam improbe hæc omnia sint assimulata.

## §. XIV.

Optime jam, ni fallor, defensionem filii *Quinctilianus* aggreditur, dum videntem fingit cœcum nostrum; Videns enim si parricidium ausus non fuisset, quid cœcum putamus ausurum? Et eo quidem magis procedere videtur hic argumentandi modus, quo majorem forte videns, quam cœcus, patris interficiendi & rationem habuisset & occasionem; propius ad videntem spectat unica fere, quæ contra filium asseri potest ratio, paternarum rerum possidendarum cupiditas. Sive enim ad luxum impendatur pecunia, sive in quemvis alium usum convertatur, aptior ad illa omnia cœco videns est. Patris ope quantumcunque indiguisset videns, tantum tamen, quantum cœcus, haud indigebat, ut nihil jam dicam de occasione expediendi sceleris, quæ utique videnti, quam cœco potuit affulgere opportunior. Hæc de vi argumenti a *Quinctiliano* prolata, quam & ipse methodum secutus



rus hancque argumentandi vim ulterius ostensus ea mihi hic in mentem revoco, quæ supra de testamento patris dicta sunt. Instituerat quippe pater omnium bonorum hæredem filium; & licet voluntas hominis ad mortem usque sit ambulatoria, facile tamen ejus mutatio non præsumitur, adeoque certus quasi erat filius de acquirendis aliquando bonis paternis. Videamus jam, annon eadem, quæ contra filium supra allegata fuit, paternæ hæreditatis acquirendæ cupiditas pro ipso potius alleganda veniat. Certus ille erat de hæreditate, incertus plane de istu; quodsi autem deprehensus fuisset in parricidio, & hæreditatis & vitæ jactura scelus luisset. Tanto sane periculo, ut, quod accepturum se aliquando sciebat, paulo forte citius acciperet, nec videns sese subjecisset. Luxuriosum si dicas, Bacchoque ac Veneri cum bonis vitam quoque immolare paratum, oppono testamentum patris, quod de moribus ejus probis abunde testatur.

§. XV.

Hoc itaque, quicquid contra filium vel rationis, vel coloris est, exploso ad aliud nunc transcendendum; eumque homicidia dolosa pleraque profiscantur, ex odio videndum, quæ huic cum patre odia fuerint, quam violenta dissensio inter sacrorum infinita nominum pignora. Hæc eo magis a noverca probanda forent, quo major pro filio militat præsumtio. Ne enim de eo nunc dicam, quod non facile inter proximos præsumantur odia, quamvis, si quæ inter eos intercedat, omnium illa haud raro soleant esse acerrima, liceat, quod jam sæpius productum fuit, testamentum patris rursus producere. Ex hoc sane luculentissima paterni

*L. 32. §. 3. ff. de donat. int. vir. C. 100.*

*Tacit. Hist. 19. 70. 4.*



ni erga filium amoris testimonia videre est. Pater quippe, qui, dum viveret, filio optime semper prospexerat, post mortem quoque bene ipsi facturus omnium bonorum heredem instituit, heredem nihilominus futurum, licet non instituisset, modo non disposuisset contrarium. Diceres sane non contentum patrem naturali illa presumptione, qua suos quisque liberos maxime presumitur diligere, evidentissimum quoque summæ, qua erga filium ferebatur, affectionis in testamento suo extare voluisse monumentum.

§. XVI.

Absoluto jam ab odii presumptione filio, esset, ut ad ductum Quinctiliani, quid inter uxorem & maritum forte odii intercesserit, examinare, sed commodiori id loco reservaturus, in Capite sequenti de eo agere constitui. Et plura quidem pro filio jam subjungit Quinctilianus, quæ tamen, cum ad amplianda potissimum ea, quæ supra jam fuerunt allegata, faciant, adeoque ex illis fluant, hic tractare supersedeo, ne, si illis immerer, crambem bis coctam videar apponere. Ad Caput itaque II, progredior, causam ibi novercæ sub examen revocaturus, quo facto collatis inter se, quæ & pro filio, & pro noverca, vel contra utrumque pugnant, rationibus, haud difficile erit in Cap. III, decisionem subjungere, reusque parricidii uter eorum habendus sit, exponere.

CAPUT. II.

*Sistens causam novercæ.*

§. I.

**C**Ausam novercæ hoc in Capite examinaturus operæ me pretium facturum esse arbitror, si de novercis



vercis earumque adversus privignos odio pauca quædam præmisero; non enim plane *transendus videtur vulgaris ille & omnibus notus de comparatione personarum locus*, cum, ubi de malo novercarum in privignos animo constiterit, facilius iis, quæ contra nostram dicenda sunt, fides haberi queat. Tam rarus quippe est novercarum erga privignos amor, ut, quod *Petron, Arbitr* de mulieribus in genere habet, haud injuria forte ad novercas ita applicaveris:

*Crede ratem ventis, animum ne crede novercis,*

*Namque novercali tutior unde fide,*

*Nulla noverca bona est, & si bona contigit ulla,*

*Nescio, quo fato res mala facta bona est.*

Valde etiam timeo, ne fictus sit casus ille, quem refert *Quintilianus* Declamatione CCCXXVII. de noverca, quæ nimium amans privignos sterilitatis medicamentum bibit, ne susceptis ex marito liberis inauditus ille erga privignos amor cessaret. Et si vel maxime verum hoc esset, tantus tamen est crudelium novercarum numerus, ut *Poëta* olim, aliique *Scriptores* facta novercarum mentione crudeles eas semper dixerint, injustas, malas, sævas, sceleratas, diras &c. Notum hanc in rem est illud *Virgilii*: *Est mihi namque domi pater, est injusta noverca.* Ad exprimendam porro odii alicujus acerbiter aptiori vocabulo uti se vix posse censuerunt Latini, quam si *novercale* illud appellarent. Ita *Tacitus*, cum *Liviam* secundam *Augusti* uxorem mariti ex *Julia* nepotem *Agrippam* occidi jussisse narrasset, *novercalibus* id odii fecisse refert. Plura hujus phrasæ exempla, cum non de verbis, sed de rebus potius disputandum sit, adducere nihil attinet; videamus autem, quale *DN. de la Bruyere* Auctor ille Gallus

*Ætolog. 3. v. 33.*

*Annal. 6. 4.*



Gallus longe celeberrimus de novercis iudicium ferat. Ita autem ille: *Ce qu'une marâtre aime le moins de tout ce qui est au monde, ce sont les enfans de son mary. Les marâtres font deserter les Villes & les bourgades, & ne peuplent pas moins la terre de mendians, de vagabonds, de domestiques & d'esclaves que la pauvreté, id est, nihil omnium minus amant novercæ, quam liberos mariti. Novercæ & urbes, & vicos desertos reddunt, terrarumque orbem non minus, ac ipsa paupertas, mendicis, vagabundis & servis implent. Quodsi porro verum est, (verum autem testatur experientia) ipsas matres, quarum tamen erga liberos affectu nihil potest excogitari tenerius, secundo nubentes amorem illum exuere, propriæque sobolis novercas fieri, juxta tritum illud Germanorum proverbium: Ein Stieff-Batter/ eine Stieff-Mutter / vel, ut alii efferunt, Wann die Henne zum Hahn kommt/ vergift sie ihrer Jungen/ quid tandem de novercis boni sperabimus? quibus æque proprium est odium in privignos, ac matribus amor erga liberos. Cognito hoc novercarum in privignos odio, suum quoque ipsi Legislatores Romani in eas odium ostensuri, quicquid parentes adversus liberos injuria inducunt, novercalibus delinimentis instigationibusve corruptos fecisse præsumunt. Et licet respectu ad patrem habito honor novercis à privignis exhibendus sit, ille tamen haud impedit, quo minus, si quid novercæ privignis subripuerint, actio furti contra eas, æque ac contra fures alios, locum habeat. Ex eodem porro fundamento DD. concludunt, privignos apud novercam non esse educandos, & licet textu expresso destituantur, analogiæ tamen juris optime convenit hæc assertio; Quodsi enim apud matrem*

*des Carath.  
& maurs de  
ce siecle cap.  
de la Societé  
p. m. 257. &  
seq.*

*Vid. Herr.  
Vol. 1. opusc.  
Tom. 3.  
paroen. 71.*

*l. 4. ff. de  
inoff. test.*

*l. 11. C. de  
furt.*



l. 1. C. ubi  
pap. educ.  
Nov. 22. cap.  
38.

arg. l. 3. C. 6.  
C. de secund.  
nupt.

d. l. 6. C. de  
secund. nupt.

ad secunda vota transeuntem educari prohibetur pupillus, quia scilicet illa non videtur impense amplius amare liberos prioris matrimonii, multo minus apud novercam educari debet, cujus tantum est in jure odium, ut maritus neque testamento, neque alia quacunque ex causa plus ipsi conferre possit, quam filio, vel filia, si unus vel una extiterit.

§. II.

His ita præmissis ad ipsam novercæ nostræ causam accedendum propius est. Quo tamen illa minus parricidii arguatur, gravissime obstare videtur proprium ipsius commodum. Vivo quippe marito illa omnium ejus bonorum condomina erat, eodem iis modo fruens, quo maritus, mortuo ipso omnia simul perditura. Sed non est, ut ob solam hanc rationem innocentem illam pronunciem. Supra enim jam dictum est, agre eam tulisse, quod maritus filium instituerit hæredem, cum se maximam bonorum mariti partem consecuturam putaret. Hanc itaque ulturam injuriam mariti occidendi consilium cepit. Proprii commodi oblitæ arma suppeditat ira; Ira, quæ furor brevis est, quaque adeo repletus erat ipsius animus, ut quibuscunque cogitationibus aliis omnis ad eundem aditus plane esset præclusus; nam

*Impedit ira animum, ne possit cernere verum.*

In locum spei successit vindictæ eo major cupiditas, quo magis spe illa se excidisse dolebat, cumque propter pecuniam tantum amaret maritum, idem amoris & spei finis fuit. Converso itaque in odium amore odio voluit satisfacere, cum spei non posset. Et invito forte marito consecutura, quod volente non valebat,  
**com-**



commisit parricidium; suspicionis enim argumenta ideo forte in cœci partem transtulit, quia credebat de ipso sumtum iri supplicium, adeoque se deficientibus cognatis aliis ad hæreditatem mariti iri vocatum, marito enim hoc in casu ex beneficio Prætoris successisset.

*L. un. pr. ff. un. de vir. & ux. l. un. C. cod. § 2. l. de B. P.*

§. III.

Quodsi jam in occasione expediendi sceleris curatius inquisiveris, statim deprehendes, facilius fuisse uxori occidere maritum, quam filio patrem. Tempus commissi parricidii contra novercam eo magis militat, quo fortior inde pro filio colligi potest præsumtio. Ostensa quippe supra jam expediendi a cœco præsentem noverca parricidii difficultas; *nox autem uxoris tempus est*, ait Quintilianus. Jacebat illa juxta maritum in lecto, adeoque tanta ipsi erat occidendi mariti occasio, quanta cœco patris interficiendi difficultas. Hæc cœci crimen facit incredibile, illa uxoris verosimile. Nihil itaque impedit, quo minus contra uxorem potius præsumamus, quam contra filium. Filius nunquam præsumitur occidisse vel offendisse parentes, & licet nec uxor maritum occidisse præsumatur, præsumitur tamen occidisse, si maritus mortuus in lecto juxta eam fuerit inventus, cum, uti ait *Menochius*, verosimile non sit, quod ab alio fuerit occisus uxore ignorante. Negat quidem illa se quicquam sensisse, cum juxta jaceret. Sed æque hanc defensionem incredibilem esse, ac filii parricidium nemo non videt. Quis enim, quæso, somno adeo sepultam putaret uxorem, ut nec cum intraret filius, nec cum feriret, nec cum denique rediret, crederet experrectam, aut saltem, cum filius jam secessisset, totam domum clamore fuisse repleturam? Sed nondum clamandi tempus erat, Parandam

*Menoch. de præsumt. l. V. præf. II. per tot. de præsumt. l. V. pr. 15. n. 4. & l. t. q. 89. in 91.*



prius tragicum illud theatrum, in quo filius tanquam  
 parricidii reus produceretur. Norandus prius palma  
 cruentata paries; Ante enim si clamasset uxor, verend-  
 dum ipsi fuisset, ne filius in lecto reperiretur dormiens,  
 scelerisque purus, cum eodem modo fuisset hoc in  
 casu crimine absolutus, ac duo illi adolescentes, qui  
 parricidii quidem arguebantur, postea tamen in lecto  
 dormientes reperiebantur, de quo casu ita *Cicero* :  
 " Non ita multis ante annis, ajunt, T. Coelium quen-  
 " dam Terracinentem, hominem non obscurum, cum  
 " coenatus cubitum in idem conclave cum duobus  
 " adolescentibus filiis isset, inventum esse mane jugu-  
 " latum, cum neque servus quisquam reperiretur, ne-  
 " que liber, ad quem ea suspicio pertineret; id ætatis  
 " autem duo filii propter cubantes ne sensisse quidem  
 " se dicerent, nomina filiorum de parricidio delata  
 " sunt. Quid postea? erat sane suspiciosum. Neu-  
 " trum sensisse! autum autem esse quemquam se in  
 " id conclave committere, eo potissimum tempore,  
 " cum ibidem essent duo adolescentes filii, qui & sen-  
 " tire & defendere facile possent? Erat porro nemo,  
 " in quem ea suspicio conveniret; tamen, cum planum  
 " iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos  
 " repertos esse, iudicio absoluti adolescentes & suspi-  
 " cione omni liberati sunt. Nemo enim putabat, quem-  
 " quam esse, qui, cum omnia divina atque humana ju-  
 " ra scelere nefario polluisset, somnum statim capere  
 " potuisset, propterea quod, qui tantum facinus  
 " commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed  
 " ne spirare quidem sine metu possunt. Absoluto  
 " autem a crimine filio in se recasuram ejus suspicio-  
 " nem facile uxor intelligebat. Hac itaque ut & filium  
 " preme-

*pro Sexto Roscio  
 Amerino.*



premeret, pressit ipsius vestigia, ita tamen pressit, ut ipsa premeretur fortius. Seipsam defensura vehementius accusavit, eo graviore supplicio digna, quod sceleri scelus addidit. Quam in filii partem transferre voluit, ipsi accessit suspicio, duplici ob id suspicione jam gravata. Innocens uxor si fuisset parum curasset, quis reus esset, modo ipsa non esset. Tota itaque quaestio cum de sceleris hujus expediendi occasione mihi sermo sit, in eo vertitur, uter potius reus sit praesumendus, uxor an filius? Utrum caecus, cui ad patrem perimendum tota fere sine duce magno cum sui periculo peragranda domus erat, an videns, quae in eodem jacebat cubiculo; Utrum ille, cui nullum adversus patrem odium, an illa, cui & maritus invisus erat, & privignus; Utrum ille denique, cui difficillimum fuisset facinus, an illa, cui facillimum? Contra hanc potius stare praesumptionem nemo non videt, nec ego ita pronunciare vereor.

§. IV.

Neque tamen, quo minus ita pronunciem, impedit, quod gladius filii inventus sit in vulnere, quodque, cum in cubiculo filii semper penderet, noverca illum auferre non potuisse videatur. Sed caeco ferum subripere aequale est ac dormienti, imo longe facilius; dormienti enim si subripiatur, verendum semper est, ne forte experrectus videat, caecus sive dormiat, sive vigilet, nunquam videt. Nec semper isti appositam capulo manum vero simile est. Parum itaque pro noverca facere videtur ille color, cum tantus non sit, ut ad absolvendam illam quemquam possit inducere; tantae enim sunt e contrario adver-

D  
sus



Cap. 7. §. 7. *Cap. 7. §. 7.* sus eam præsumtiones, ut iis omnibus tollendis solus ille minime sufficiat. Inter eas postrema haud est, quod uno istu occisus est senex; cæco enim id impossibile fere fuisse supra ostensum. Nemini autem hoc expeditu facilius, quam uxori, quæ juxta jacebat, quæ pectus prætentare, quæque expiraverit maritus, nec ne, optime scire poterat.

§. V.

Certissimum jam paterni in filium odii argumentum reperisse sibi videtur noverca in eo, quod secretam pater domus partem cæco assignavit, non facturus, uti illa quidem causatur, nisi summo eundem odio fuisset persecutus. Sed fallaciam hic causæ non causæ, quod ajunt, committi satis, puto, manifestum est; invisus enim si fuisset patri filius, omnium bonorum hæredem non instituisset. Cum tamen causam secreti cæco assignati noverca quærat in odio, in eodem & ego quæram, aliud ejusdem subjectum substituturus. Novercam me loqui satis quilibet intelligit; nam filium non esse præter testamentum patris arguit & illa ratio, quod per hoc secretum adeo non punitus fuisset filius, ut inter accepta potius a patre beneficia id merito referret. Quantum enim ille aberat a noverca, tantum quoque ab ejusdem aberat injuriis. Seposuit pater filium, ne a noverca videretur. Ita autem seponere eo minus dubitavit, quo minus filii intererat, quamnam domus partem inhabitaret. Quid? quod secretum hocce tantum abest, ut, contra filium allegari queat, ut potius ejus inde innocentia appareat. Hinc tanta patris occidendi difficultas, hinc quam improbe omnia contra ipsum as-

sumu-



simulata sint, cognosci potest, & supra jam fuit deductum.

## §. VI.

Alio jam ad sui defensionem colore utitur non verca, sibi que causam cædis non fuisse ait, cum filius hæres inventus sit omnium bonorum. Sed ob quod illa causam cædis sibi non fuisse contendit, id causam ipsi cædis fuisse asserere nullus dubito; Cum enim privignum hæredem in testamento paterno institutum, sequæ spe bonorum mariti, quibus inhiabat, acquirendorum frustratam videret, nil jam, nisi vindictam spirabat, ejus implendæ ergo vel ipsam, si opus esset, vitam perditura; Nam

*Est vindicta bonum vita jucundius ipsa.*

Dices, aliquid forte inter patrem filiumque odii intercessisse, ob quod poenitentiam testamenti hic timeret, miseræque suæ memorem omnium se miserrimum fore facile prævidisse, si bonis paternis privaretur; voluisse itaque patrem occidendo aut mutationem testamenti prævenire, aut, si in delicto deprehenderetur, supplicio vitam finire odiosam. Sed ad hanc objectionem jam sæpius respondi, & ne, quæ supra dixi, ad nauseam repetere cogar, respondebit nunc pro me Cicero, qui *neesse est*, inquit, *causam odii inter patrem filiumque justam & magnam & perspicuam fuisse, nam, ut illud incredibile est, mortem oblatam esse patri a filio sine plurimis & maximis causis: sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filium sine causis multis, & magnis & necessariis.* Et sane, ubi perspicua odii inter patrem & filium causa non est, ibi nulla plane præsumitur, Sed si vel maxime concederem fuisse, incredi-

*Juvenal. Sat.  
13. v. 180.*

*pro Sext.  
Rosc. Amerin.*



bile tamen erit cœci parricidium, tum ob ipsam cœcitatatem, tum ob longum inter utriusque cubiculum spatium, tum ob præsentiam novercæ,

## §. VII.

Postremo nunc a posteriori argumentum tam ad defendendum filium, quam ad accusandam novercam faciens hic tractandum venit; Cum enim nemo occidisse præsumatur eum, cujus ope quam maxime indiget, recte, credo, statuit Quintilianus, *intuendum esse ille, qui perit, ab utro magis desideretur*. Non desideratur, nisi qui amatur, qui amatur, non occiditur, hinc argumenti hujus tractandi necessitas. Et desiderabat quidem filius patrem charissimum nunquam recuperandum; desiderabat uxor maritum cum alio eo facilius commutandum, quo hic ipsi erat inuisor. Desiderabat filius patrem, a quo omnia speraverat; desiderabat uxor maritum, qui omni ipsam spe frustraverat. Desiderabat porro inops, cœcus & omni alio solatio destitutus patrem, qui solus ipsi omnia erat; desiderabat uxor dives forte ac videns maritum, qui cum bonorum suorum spem ipsi ademisset, nihil ipsi erat. Uter itaque magis desideraverit, satis, puto, manifestum est. Uxor ad novercæ, quod ajunt, tumulum siebat, illa luctum simulabat; Filius, quem sentiebat, dolorem vix poterat exprimere; & hunc quidem dolorem ipsa morte graviolem morte forsan finiisset, seque alieni dixisset auctorem delicti, nisi pessima quæque perpeti quam parricida videri maluisset.

CAPUT.



CAPUT III.

*Exhibens ipsam Casus decisionem, ubi simul  
agitur de quæstionibus aliis ad eandem  
materiam pertinentibus.*

§. I.

**V**lris hæcenus utriusque partis argumentis, cum ordinis ratio postulet, ut ad ipsam Casus decisionem progrediar, haud inconcinnum fore existimaverim, si collatis invicem, quæ contra filium, quæque contra uxorem militant, præsumtionibus atque indicis juxta principia tum juris Romani, tum Carolini quæsiro, an hoc in casu quæstioni locus fuisset, & uter eorum eidem fuisset subjiciendus? Et cum supra de filii causa prius actum fuerit, eadem servata methodo de illa & nunc prius acturus sum.

§. II.

Cum quæstio res fragilis sit, & periculosa, & quæ veritatem sæpissime fallat, neminem facile eidem subjiciendum esse vel ipsa naturalis æquitas dicitur. Sicuti autem, ubi de auctore delicti evidentissime constat, quæstione opus non est, ita eo maxime in casu ad illam deveniri debet, ubi indicia quidem contra aliquem militant, quæ tamen aliis insuper probationibus indigent. Quænam vero ad quæstionem indicia sufficient, definitu satis est difficile & prudentis arbitrio iudicis relictum. Ego, quid de indicis contra filium vel contra uxorem supra allatis mihi videatur, paucis

*l. 1. §. 23. ff. de quæst.*

*l. 12. C. de quæst. l. 1. §. 1. ff. eod.*

*Arg. l. 2. §. 2. ff. de rescrip.*

D 3

expo-



exponam, prudenti tuo, Lector, qui iudicis nunc mihi loco es, arbitrio horum omnium examen relicturus.

§. III.

Tria inprimis contra filium indicia militare ex supra dictis patet: gladius scil. ejus in pectore patris relictus, paries sanguinis vestigiis notatus, & denique spes lucri ex morte patris capiendi: Primum quod attinet, refertur illud quidem tum à Carolo V. Imp. tum a plerisque Juris criminalis Interpretibus inter indicia ad torturam per se sufficientia; ita enim habetur in Constitutione Carolina: So einer in Übung der That etwas verleurt / oder hinder ihm liegen oder fallen läßt / daß man hernachmahls finden und ermesſen mag, daß es des Thäters gewesen ist / mit Erfundigung, / wer solches am nechsten vor der Verlust gehabt hat / ist peinlich zu fragen / c. Ex inventione enim harum rerum præsumitur delictum nedum commissum, sed etiam ab eo, cujus res sunt, uti loquitur *Zan-gerus*. Sicuti autem nullus fere est, qui non ita statuat, ita nullus quoque, qui non hanc simul addat limitationem, nisi talis præsumtio alia fortiori elidatur; habetur illa etiam in allegata modo Constitutione Carolina, ibi: Er würde dann etwas dargegen fürwenden. Licet itaque filius gladium in pectore patris repertum suum negare haud potuerit, adeoque quæstioni videatur subjiciendus, aliis tamen præsumtionibus illa satis eliditur, cum ipso patre teste homo frugi fuerit, cum difficillimum, ne dicam, profus impossibile ipsi scelus fuisset, cumque facillime gladius ipsi auferri potuerit; nec tantæ ad eundem illi subripiendum, imo nullæ potius superandæ fuerint difficultates,

*Marx. ad  
Const. Crim.  
art. 29.  
Menoch. l. 1.  
q. 89. n. 135.  
add. Cicero  
ad Herenn.  
11. 8.  
Art. XXIX.*

*de quest. f.  
tortur. reor.  
cap. 2. n. 13.*

*art. 29.*



tates, quantæ cœco ad committendum parricidium; facilia autem potius præsumuntur, quam difficillima; quam vero difficile fuisset cœco parricidium, ex supra dictis, ni fallor, abunde patet; quam facili autem opera gladius ipsi subripi potuerit, satis quilibet intelligit.

## §. IV.

Secundum, quod contra filium militare videtur, indicium, est paries a patris cubiculo ad filii usque sanguinis vestigiis notatus; & de hoc quidem indicio idem fere, quod de priori statuunt Interpretes, ita tamen, ut hoc in casu videndum ante omnia fuisset, utrum forma manus filii vestigiis in pariete notatis responderit, an uxoris? Quod cum nunc videri nequeat, ad alia elidenda hujus suspitionis media recurrendum est; suppetunt autem plura, eaque unico hocce indicio multo & vero similia & evidentiora; Quomodo enim, quæso, criminis vestigia post se reliquisse præsumi potest, qui crimen commississe præsumi nequit? Quomodo paries sanguine notari potuit ab eo, cui intrare cubiculum patris non difficile modo fuit, sed tantum non impossibile? Quomodo ab eo, qui nihil, aut parum sanguinis potuit in manu habere, tam longum spatium sanguine potuisset notari? Quomodo denique ille, qui maxime ingeniosus fuisset, cum patraret scelus, plane non compos mentis, sui que ac periculi sibi imminentis prorsus immemor præsumi poterit, cum celare vellet? Audacior sane fuisset filius, eum negaret parricidium, quam cum committeret. Nemo itaque, credo, est, qui non videat, longe fortiores esse, quæ pro filio militant, quam quæ contra eum proferuntur, rationes; vincuntur hæc illarum tum numero,



mero, tum pondere. Paradoxum esset cœci nostri parricidium; odisset, simulque occidisset patrem sui amantissimum, fecisset tantum non impossibilia, ingeniosissimus idem fuisset ac stultissimus.

§. V.

Tertium denique, quod parricidii arguere filium videtur, est spes lucri ex morte patris capiendi; facile enim ille intelligebat, occiso patre ad se statim devolutum iri bona, alias forte non, nisi diu post ad se perventura. Licet autem & hoc in sæpius allegata. *Conf. Criminal. Art. 25. vers. Zum fünfften/verb. oder Erhaltung einiger Nutz/ & art. 37. ibi: oder aber von seinem Tode Vortheil oder Nutz wartend wäre/inter* indicia contra reum à Carolo V. referatur, non tamen est, nisi inter remotiora, & ad torturam per se minime sufficit. Et ita quidem vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere, teste *Cicerone*. Sed nullum ex festinata morte patris in filium redundaturum fuisse emolumentum supra ostensum est, hæreditate quoque paterna opus non habuisse ex iis, quæ alibi dicta sunt, itidem haud obscure patet. Et quid si vel maxime causam cædis id ipsi præbuisset, quomodo tamen potuisset illam perficere? Semper obstat cœcitas, ob eamque sceleris patrandi maxima difficultas, temporis locique incommoditas, præsentia novercæ, & quæ ejusmodi sunt alia; Non esset itaque, cur tali in casu, si ille hodienum contingeret, filius quæstioni subjiceretur, cum ipsa Constitutio Criminalis Caroli V. iudicibus injungat, ut omnibus, quæ pro reo & contra eundem militant, indicis probe perpensis tunc demum

*vid. Manz  
ad h. art.  
pro S. Rosc.  
Amerin.*

*Art. 28.*



mum quæstioni ipsum subjiciant, si suspicionis causæ  
 evidentiores sint, quam defensionis; Quodsi vero de-  
 fensionis causæ urgentiores sint, quam suspicionis, tor-  
 turam omittendam esse statuit. Ipsa dictæ Constitu-  
 tionis verba hæc sunt: Und so dann ermessen mag  
 werden/das die Ursachen des Argwohns grösser sind/  
 dann die Ursach der Entschuldigung / so mag als-  
 dann peinliche Frag gebraucht werden; Wo aber die  
 Ursachen der Entschuldigung ein mehrer Ansehens  
 und Achtung haben / dann etliche geringe Argwöh-  
 nigkeit/so erfunden sind/so soll die peinliche Frag nicht  
 gebraucht werden / quia scil. favorabilior est causa de-  
 fensionis & absolutionis, quam condemnationis.

l. 25. ff. de R. I.  
 l. 47. ff. de  
 O. & A.

§. VI.

Explosis hætenus, quæ contra filium pugnare vi-  
 debantur, indiciiis, jam ad ea, quæ contra uxorem mili-  
 tant, transeundum est. Ubi primo statim loco consi-  
 derandum venit odium, quo maritum illa prosequen-  
 batur; Nec est, quod illud hoc in casu probari posse  
 neges, cum nunquam præsumatur. Utique enim idem  
 ex eo satis colligere est, quod pater filium novercæ  
 quam maxime invisum summo amore complecteba-  
 tur, quodque ejus testandi ergo solum ipsum præteri-  
 ta plane uxore hæredem instituit; maritus enim dum  
 filium uxori invisum amabat, eamque spe sua frustra-  
 verat, eo ipso efficiebat, ut odium, quo solum antea  
 privignum prosequeretur, nunc inter maritum privi-  
 gnumque divideret, quo adductus sine dubio maritus  
 fuit, ut in testamento plane illam præteriret. Arguit  
 nimirum hæc præteritio non incognitum fuisse marito  
 uxoris in se odium; Quodsi enim nullæ uxori cum  
 marito intercessissent inimicitie, nullum, credo, du-

E

bium



bium est, quin saltem legatum aliquod in testamento fuisset adscripturus. Sed videamus jam, quantus odii in indiciiis contra reum inquirendis effectus sit. Audiamus hac de re ita loquentem Carolum V. Zum Günstten/ inquit, soll man die Beschädigungen oder Verletzungen wahrnehmen / ob die verdachte Person auß Meyd/Feindschafft ꝛc. zu der gedachten Verſethat Ursach nehmen möchte. Licet autem odium & inimicitia inter indicia remota tantum & ad torturam per se non sufficientia tum ab Imperatore, tum a DD. referantur, cum aliis tamen si conjungantur, torturam utique operari valent.

*Const. Crim.  
art. 25. vid.  
Manz., ad h.  
art. n. 32. seqq.  
Cris., de in-  
dic. delict. c. 9.*

§. VII.

Concurrit autem & temporis & loci opportunitas, quodque juxta maritum in lecto jaceret uxor, cum ille occideretur, eo graviora contra eandem indicia, quo fortiora inde pro filio argumenta peti possunt. Cum enim uxoris praesentia illo in loco, ubi pater jacebat, impediverit filium, quo minus parricidium posset committere, si vel maxime id in animo habuisse concederetur, alteruter autem eorum criminis hujus reus dicendus sit, non potest non in illam indicii hujus cadere suspicio. Et sicuti quidem ob defensionis favorem indicia contrariis praesumptionibus eliduntur, ita illa fortius quoque premunt, contra quae nihil habet, quod afferat reus; Negat quidem uxor, se quicquam sensisse, sed quam parum hoc sit verisimile nemo non videt; quod autem verosimile non est, attendi non debet. Fundatur hoc indicium ex loco defunctum in citata jam saepius Constitutione Carolina verb: Zum andern/ ob die verdachte Person an gefähr

*l. fr. ff. quod  
met. caus. c.  
10. X. de pra-  
sumt.  
Art. 25.*



fährlichen Orthen zu der That verdächtlich gefun-  
 den oder betreten würde. Accedit communis opi-  
 nio DD, qui statuunt maritum, si juxta uxorem in le-  
 to occisus fuerit, ab ipsa uxore occisum esse præsu-  
 mi; firmatur communis hæc DD. opinio per *l. 14. ff. ad SCrm. Silan.* ubi, licet servi impuberes à Scto Si-  
 laniano excipiantur, de illo tamen impubere non sine  
 ratione supplicium sumtum fuisse asseritur, qui ad pe-  
 des domini cubuerat, cum dominus occideretur, & ha-  
 betur talis per eandem legem pro ministro & partici-  
 pe cædis. Quodsi itaque præsentia impuberis in loco  
 delicti commissi de scelere ipsum suspectum non mo-  
 do reddit, sed convictum, multo minus uxor hæc ex-  
 culari potest, quæ non ad pedes mariti, sed juxta ipsum  
 in lecto jacebat. Est itaque hæc præsumtio juris & de  
 jure, quæ non nisi per evidentissimas rationes elidi  
 posset. Nec sufficit negare, se quicquam tenuisse;  
 Quodsi enim hoc sufficeret, impubes ille, de quo modo  
 dictum est, ad eundem quoque sese defendendi mo-  
 dum confugisset, & negare si sufficeret, quis nocens  
 esset?

*Vid. Menocir.  
 de pres. q. 89.  
 n. 89. seqq. Fa-  
 rinac. q. 52. n.  
 98. Manz. ad  
 Art. 25. Const.  
 Crim.*

§. VIII.

Quæsituro iam, an uxor hæc quæstioni subjeci  
 potuisset, nondum dimittenda dicta *lex. 14. ff. ad SCrm.  
 Silan.* urpote ad hanc quæstionem decidendam ap-  
 prime faciens. In occisi cubiculo deprehensum pro  
 ministro ac participe cædis præsumptione juris & de ju-  
 re haberi modo dictum est. Eundem ad supplicium  
 condemnari statim posse ipsa lex asserit; hinc facile  
 illatu, quid de uxore statuendum. Supplicio quippe,  
 siue neget, siue confiteatur, afficiendam esse, ita, ut ne  
 tortura quidem opus sit, eo minus dubium est, quo

E 2

major



major contra ipsam militat juris & de jure præsumtio, quoque minus verosimile est, alium quemquam maritum ejus interfecisse; Non cæcus, cui per ea, quæ supra dicta sunt, impossibile tantum-non fuisset parricidium, nec tertius quidam, qui certe præsentem uxore stelus hoc non fuisset ausus, & si vel maxime perficere potuisset, non perfecisset tamen gladio filii, nec parietem palma cruentata notasset usque ad cubiculum filii, cum parum ille curasset, nocens videtur filius, nec ne? Aufugisset potius, cum adesset, quæ verosimilius (uxorem autem intelligo) de parricidio accusaretur.

## §. IX.

Quodsi forte dicas diversum *leg. 14. ff. ad Scrm. Silan.* à nostro casum esse, cum impubes eadem domini haud prodiderit, uxor vero planctibus domum repleverit, filiumque parricidii accusaverit; Salva tamen res est; ratio enim cur tanto ipsi silentium constitit, in eo quærenda, quod, cum in eodem, in quo dominus occisus est, cubiculo jaceret, præsumatur cædis particeps fuisse, licet nihil audiverit. Nec ullum in dicta lege apparet vestigium, ex quo de scientia cædis possit dici convictus. Est itaque hæc præsumtio juris & de jure, quæ toties adesse dicitur, quoties lex non tantum aliquid præsumit, sed simul ob hanc præsumtionem disponit reumque condemnat, idque non tantum in causis civilibus procedit, sed & in criminalibus. Non equidem negari potest ad delicta, præsertim tam atrocia probationes requiri luce meridiana clariores. Verum & ipsæ præsumptiones, si sint juris & de jure, qualis hæc nostra est indubitata probationes sunt, teste post alios etiam *Menochio*, qui asserti hujus

*Lauterbach.*  
Coll. Theor.  
Pract. ad ff.  
tit. de probat.

§. 44.

l. 34. C. ad  
L. Jul. de ad-  
ul.l. ult. C. de  
probat.  
de præsumt.  
l. 1. q. 30. n. 1.

seqq.



hujus rationem hanc adducit, quia *præsumptio juris & de jure est probatio necessaria, quæ vel cum ipsa natura consentit, vel ita a lege est constabulita, ut pro ipsa veritate habeatur.* Nec est, quod urgeas à servis ad homines liberos non valere consequentiam, cum in vulgus nota sit Romanorum in servos durities, imo crudelitas; Non enim procedit hæc contra *l. 14. ff. ad SCrm. Silan.* exceptio, cum non ob id, quod servus fuit, ad supplicium condemnatus sit impubes ille, sed quod, cum in eodem cubiculo jaceret, in quo dominus occisus est, minister ac particeps cædis fuisse præsumitur; Accedit, quod idem quoque de hominibus liberis in jure statutum reperimus, pertinet quippe huc *l. 34. C. ad L. lul. de adult.* ubi ob solam præsumptionem adulterii poena affici jubentur ij, quos paulo ante præsumptio alia liberaverat. Nec opus est ad poenam infligendam, ut quis de crimine conjunctim & confessus sit & convictus, modo vel confessus sit, vel convictus. Nec porro conscientiam lædere dici potest iudex, qui præsumtionibus juris & de jure gravatos damnat ad supplicium; ejusmodi enim indicia cum sint indubitata juri, indubitata etiam esse debent iudici, qui juris minister est, & ab ejus præscripto recedere nequit.

*l. 16. C. de poen.*

*Manz. ad Art. 22. Const. Crim. n. 6. l. 13. C. de sentent.*

§. X.

Quodsi porro averso paulisper à Jure Romanorum Civili animo Constitutionem Caroli V. Imperatoris Criminalem consulamus, respondebit nobis Art. 69. his verbis: *So der beklagt nach genugsamer Beweifung nicht bekennen wolt / soll ihm angezeigt werden / daß er der Missethat überwiefen sey / ob*

E 3

man



man dadurch sein Bekantnis desto ehe auch erlangen könt; ob er denn darüber nachmahls nicht bekennen wolt / daß er doch / als obsteht / gnugsam überwiesen wäre / so soll er nicht desto weniger der überwiesenen Missethat nach ohn einige peinliche Frag verurtheilt werden. Loquitur quidem hic Art. de sufficienti adeoque plena probatione (genugsamer Beweifung) sed præsumtionem juris & de jure ejusmodi probationi æquiparari §. præcedenti dictum est. Licet autem huic Articulo 69. e diametro obstare videatur Art. 16. ejusdem Constitut. Criminal. ubi in delictis notoriis tortura insuper ad extorquendam ipsam rei confessionem requiritur, facili tamen opera utrumque articulum conciliaveris, si inter delictum notorium, & illud, quod legitime per testes vel indicia indubitata probatum bene distinxeris, & de illo quidem loquitur Art. 16. de hoc autem intelligendus Art. 69. uti id proluxius ostendit *Manzius*, Ad posteriorem vero speciem nostrum casum referendum esse clarum est; quin itaque ex Art. 69. decidatur nihil impedit,

*ad d. Art. 16.*

§. XI.

Convictam jam & condemnatam poena sequi debet eo gravior, quo gravior est quod commisit, parricidium. Hujus delicti nullam olim poenam fuisse constitutam memoriae prodidit *Cicero*, non quasi impune licuerit parentes aut alias personas conjunctas occidere, sed quod neminem id facturum putatum fuerit; ita enim Solonem, sapientissimum illum Atheniensium Legislatorem respondisse ferunt, cum interrogaretur, cur nullam in parricidas poenam constituerit. Sed cum semper in pejus rueret seculum, nihil-

*Orat. pro S. Rosc. Amerin.*



nihilque tam alte positum esset, quo non pertingeret hominum audacia, nata tandem malis ex moribus bona lex est, & excogitata a Romanis parricidii poena, ut quos pietas ab ineffabili scelere non arceret, metus arceret supplicii. In varia autem poenae parricidii genera inquisituris notandum est, ab initio parricida os folliculo lupino obvolutum, pedibus soleas ligneas inductas, & ita in carcerem eum ductum fuisse, ut ibi tantisper esset, dum pararetur culleus, in quem coniectus in profluentem praecipitaretur, quod genus poenae experrus primus dicitur Publius quidam Malleolus. Postea vero, cum frequentiora Romae essent parricidia, exasperata quoque eorum poena est, ita, ut *virgis sanguineis* (alii legunt *sagmineis*) *verberatus parricida culleo insueretur cum cane, gallo gallinaceo & vipera & simia, deinde in mare profundum culleus iactaretur, hoc ita, si mare proximum esset, alioquin bestiis obijceretur secundum Divi Hadriani constitutionem.* Haec autem poena cum deinceps nescio quo fato in desuetudinem abiisset, ea poena plecti coeperunt parricidae, quae est legis Corneliae de Sicariis, imo interdum vivi combusti, aut ad bestias dati sunt. Constantinus vero Magnus tandem convenientem delicto gravissimo poenam impositurus ex exilio, ut ita loquar, revocavit cullei poenam excepta tantum virgarum castione, iniquum ratus talem hominem, sed quid dico hominem, cum quavis etiam bestia sit immanior, ab hominibus cruciari; Sociari itaque cum bestiis voluit, qui hominum se societate indignum fecisset, omnium elementorum, quibus nihil mortalibus a natura datum est utilius, usu privavit eum, qui naturam invertisset. Nec tamen ego curiosius inquiram in rationes,

*Vid. Sigon. de judic. Roman. l. 2. cap. 31.*

*Vid. Gothofred ad l. 9. ff. de L. Pompej. de parricid.*

*l. 9. ff. de L. Pomp. de parricid.*

*l. 1. ff. eod. lul. Paul. rec. sent. l. v. s. 24.*

*l. un. C. de his qui par. occid.*

CUR



cur additus fuerit canis, cur gallus gallinaceus, cur viperas, cur simia; item vera sint, an ficta, quæ de simiis & viperis multi referunt, quod nimirum illæ osculando foetus necent, hæ vero maternam alvum exedant; de his omnibus sagaciores rerum naturalium scrutatores disquirant subtilius. Mihi sufficit, legem ita scriptam esse. Quibus tamen volupe est accuratius hæc nosse, illi adeant, si velint, *Arniseum de Rep.*

Cap. 4. Sect.  
s. n. 19. seqq.

Orat. pro S.  
Rosc. Amerin.

Cur in mare projecti fuerint parricidæ rationes omnium optime explicavit *Cicero*, cujus verba hæc sunt:  
 “ Nonne, inquit, videntur hunc hominem ex rerum  
 “ natura sustulisse & eripuisse, cui repente cœlum, so-  
 “ lem, aquam, terram ademerunt, ut, qui eum necasset,  
 “ unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex  
 “ quibus omnia nata esse dicuntur. Noluerunt fe-  
 “ ris corpus objicere, ne bestiis quoque, quæ tantum  
 “ scelus attigissent, immanioribus uteremur; Non  
 “ sic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent  
 “ in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ vio-  
 “ lata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vi-  
 “ le, neque tam vulgare est, cujus partem ullam re-  
 “ liquerint. Etenim, quid tam est commune, quam  
 “ spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus  
 “ ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam  
 “ de cœlo non queant, ita moriuntur, ut eorum ossa  
 “ terra non tangat, ita jactantur fluctibus, ut nunquam  
 “ abluantur, ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa qui-  
 “ dem mortui conquiescant. Hæc ille.

§. XII.

Pœna hæc parricidii §. præcedenti exposita an  
 per Criminalem Caroli V. Constitutionem confirmata  
 sit,



fit, quæstionis est: Qua de quæstione tam variæ sunt doctissimorum virorum tamque discrepantes sententiæ, ut utri parti adstipuleris, non modicæ contradicas. Verum non tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt. Examinanda quippe ipsa dicti Imperatoris Sanctio, & genuinus ejus sensus ex analogia juris eruendus. Videtur autem huc præcipue referendus *Art. 131.* ubi in mulieres infanticidas adeoque parricidii reas constituta legitur pœna suffocationis in aqua. Quodsi itaque principio juris generali, quod plenariam Juris Carolini cum Jure Romano consensionem præsumit, insistere velimus, suffocatio hæc non simplex, sed, ut ita dicam, qualificata erit, & Romanorum illi in parricidio observatæ plane conformis, cum præsertim de abrogatione pœnæ Civili Romanorum Jure introductæ in Carolina Constitutione altum ubique sit silentium. Recepto itaque semel in Imperio Romano Germanico Juris Civilis Corpore, nihil plane rationis subest, cur *l. un. c. de his qui par. vel lib. occid.* à receptione illa generali dicamus exclusam. Quæ quidem hujus legis exclusio tantum abest, ut ex *Art. 131.* modo citato probari possit, ut haud obscure potius eadem lex confirmata ibi videatur. Tamdiu itaque firma stabit *d. l. un.* donec abrogatio ejus aut expressa lege contraria, aut consuetudine, quæ legis vim habet, fuerit demonstrata. Quodsi loca quædam reperiantur, ubi hæc parricidii pœna expressis iisque claris legibus ac consuetudinibus fuit abolita, sunt vicissim alia, in quibus hodiernum illa viget, uti de Saxonia testatur *Carpzovius*, ita tamen, ut loco cullei ex corio facti linteum in usu esse, & alia quædam ob circumstantias ex situ provinciæ petendas

*Præf. Crim.*  
*P. 1. q. 8.*  
*n. 17. seqq.*

F

mutata



mutata dicat, Galliam vero quod attinet, videtur abolita plane parricidii poena Jure Romano constituta; de hujus enim regni circa parricidii poenam consuetudine ita loquitur *M. Anton. d'Espeisses*: *Mais aujourd'hui, inquit, en France, parce qu'il est difficile d'y trouver des viperes cette peine n'y est plus observée, ains seulement on punit de mort fort griève le parricide, id est, hodie in Gallia cum rarissime ibi inveniatur viperæ, hæc poena non amplius observatur, gravissimo tamen parricidium supplicio vindicatur, cui ad stipulatur etiam*

*Opér. Tom. 3.  
part. 1. tit. 12.  
Sect. 2. Art. 2.*

*Confer. du  
droit franc.  
avec le Rom.  
ad tit. de his  
qui par. vel  
lib. occid.*

*Bernhard. Autumnus* his verbis: *Hic titulus non est in usu; Nam hodie parricide laqueo suspendi, deinde cremari consueverunt.*

§. XIII.

Occurrit nunc quæstio non difficilis minus quam utilis; Utrum scilicet de Jure Civili Romano eadem poena plectendum sit parricidium in conjugibus commissum, qua in ascendentibus aut descendentibus patratum plectitur? *Carpzovius* sane ex *l. un. C. de his, qui par. vel lib. occid.* affirmativæ veritatem evincere conatur ob summam illam, quæ inter conjuges esse debet, affectionem & ob unitatem carnis ipsorum. Verum *si l. 9. §. 1. ff. de L. Pompej. de parricid.* accuratius inspiciamus, haud obscure apparebit, maximam esse ratione poenæ inter proprie & improprie sic dictum parricidium differentiam. Verba hujus legis ita habent: *Qui alias personas occiderint præter matrem & patrem & avum & aviam, quos more majorum puniri supra diximus, capitis poena plectentur, aut ultimo supplicio mactantur.* Nec est, quod *d. l. un. modo allegatæ l. 9. derogasse dicas*, cum derogationem illam, quæ

*Præf. Crim.  
part. 1. q. 12.  
n. 8. seqq.*



quæ nunquam præsumitur ex generali illa *l. un. C. male inferres*; Nam si sola affectio rationem decidendi hic conficeret, necessario inde sequeretur, & fratricidas & sororicidas poena proprie sic dicti parricidii teneri, cum fratres & sorores ex eodem quippe sanguine progeniti maxima inter se affectione ducti præsumantur, id quod tamen tum ipse *Carpzov.* tum alii sententiæ *l. c. n. 7.* ipsius patroni falsissimum esse asserunt; quin tamen hæc gladii poena, quam in mariticidio & uxoricidio obtinere existimo, concurrentibus aliis circumstantiis interdum exasperari possit, nullum plane dubium est, cum & ipse Carolus V. Imperator quantum ad poenam homicidii distinguat inter homicidium dolosum animoque deliberato patratum, & homicidium in rixa commissum, ita ut in illo rotæ, in hoc vero gladii poenam dicitur. Interdum etiam in homicidiis ejusmodi dolosis aduersionem forcipibus candentibus factam ipsum supplicium præcedere jubet his verbis: Und man mag in fürgesetztem Mord/so der an hohen tresslichen Personen/ des Thäters eigen Herrn/ zwischen Eheleuthen/ oder nahend gesipten Freunden geschicht/ durch etliche Leibstraff/ als mit Zangen reissen / oder Flußschleiffung vor der endlichen Tödtung umb größser Furcht willen die Straff mehren.

*Const. Crim.  
Art. 137.*

## §. XIV.

Colophonem jam huic dissertationi imposturo de SCTO Siliano pauca quædam dicenda supersunt, Longior tamen forte viderer, si justitiam hujus SCTI prolixius irem defensum. Sufficit allegasse, qui id præstitit, Ampliiff. atque Consultiff. DN. D. FELTZIUM, Præceptorem ac Patronum ad cineres colendum, ut simul intelligatur, solidissime id præstitum esse.

*Dissert. criti-  
ca. Specim.  
LI. apparen-  
ter injustar.  
Specim. I.*



esse. Nec difficile quidem est ICTo iustissimo de legum iustitia tam eleganter differere. Illam itaque potius ex SCTo Silaniano quæstionem hic tractabo, quæ ad institutum propius spectare videtur: Utrum nimirum SCTo illi nostro in casu locus sit & id est, utrum servi, qui domino domi suæ occiso sub eodem tecto erant, nec armis, manu, voce, objectu corporis aut alia quavis ratione opem ei tulerunt, quæstioni subjici potuissent, & an eo neglecto hæres scriptus hæreditate indignum sese reddidisset. Id autem, quamvis regulariter ita obtinuerit, excepti tamen fuerunt ab hac regula speciales quidam casus, quibus servi opem domino ferre haud potuissent, inter quos referendus etiam est, si uxor noctu juxta maritum jacens eundem necasset. Verba legis hæc sunt: *Si maritus uxorem noctu intra cubiculum secum cubantem necaverit, vel uxor maritum, servi pœna SCTi liberabuntur. Sed si exaudissent, & opem non tulissent, plectendi erunt, non tantum si proprii essent mulieris, sed etiam si mariti, qua ex lege fuit, filium occisi patris necem in servis vindicare haud potuisse, adeoque hac vindicta omiſsa hæreditate paterna indignum se minime fecisse.*

*l. 2. §. 2. ff. ad  
SCTm, Silan.*

§. XV.

De usu SCTi Silaniani hodierno magna est inter DD. disceptatio; Utriusque partis rationes diligenter congeſſit Illuſtris HERTIUS, qui ipse tamen neutram amplectitur, sed media via incessurus negat posse hodie hæredem scriptum neglecta occisi vindicta hæreditate privari, nisi prius admonitus fuerit de pœna privationis huic omiſſioni imposita, secutus hac in re *Auctorem der Anweisung zum Inquisition und Nichts Pro-*

*Differ. de  
hæred. occis  
vind. Sect. 3.*



Process, qui ita loquitur: Daß vor allen Dingen der  
entleibten Person nechste Anverwandte/ des Manns  
Weib und Kinder/ des Weibs Ehemann/ des Kin- c. 5. §. 57  
des Vatter / oder wer sonst dem Entleibten ver-  
wandt/erfordert/ihnen der klägliche Zustand eröffnet/  
so viel möglich Trost zugeredet / und zugleich Unter-  
richt gegeben werde / wie sie vermöge der Rechte  
schuldig sich ihres Freunds und nechsten Anverwand-  
tens Körper anzunehmen/ denselben Christlich beer-  
digen zu lassen/ auch sodann seinen Todt vindiciren/  
den Thäter mit Recht zu verfolgen/ und zu verdien-  
ten Straffe zu bringen/ wiedrigen Falls aber sie sich  
dessen Verlassenschaft verlustig machen wurden. Li-  
cet autem in medio regulariter eamus tutissimi, ruti-  
ramen ire haud viderur, qui vel transversum, ut ita  
loquar, unguem a recto legum tramite recedit. Sub-  
sternit quidem *Illustr. Hertius* sententiæ suæ hoc fun-  
damentum: *Quod omnis lex, quæ actum aliquem posi-*  
*tivum a subditis requirit, nec a natura provenit, sed a*  
*voluntate humana, nec ideo est posita, ut iudices informet,*  
*quam potius regulam subditis præscribat, juxta quam*  
*agant, eamque transgressi poena subdantur, promulgatione*  
*indigeat, nec sufficiat generalis quedam designatio, sed spe-*  
*ciali & expressa opus sit; promulgationem autem ejus-*  
*modi ac receptionem quandam specificam per usum*  
in Imperio occurrere negat. Verum cum Jus Ro-  
manum in Imperio Romano Germanico publica au-  
ctoritate reciperetur, omnes ejus leges, nulla plane ad-  
hibita distinctione receptæ sunt. Et satis quidem pro-  
mulgationis esse viderur illa receptio; quid enim opus  
fuisset singulas leges ex charta, uti loquuntur, in papy-  
rum transcribere, & de novo promulgare, cum publica  
jam



jam auctoritate declaratum esset Corpus Juris Ci-  
 vilis Romani, adeoque omnia, quæ in illo conti-  
 nentur, esse recepta, quid enim differre putamus, no-  
 vas quis leges promulget, an antiquas probet?  
 Quod autem leges quædam specialiter de novo pro-  
 mulgatæ sint, id ex voluntate potius Legislatoris est,  
 quam ex necessitate. Imo abrogatæ quædam sunt ex-  
 presse, mutatæ aliæ, aliæ denique, quæ obscuriores vide-  
 bantur, clariores redditæ, non infirmo sane argu-  
 mento, in reliquis regulæ illi generali, qua leges Ju-  
 ris Romani expressè non abrogatæ valere præsumun-  
 tur, stricte inhærendum esse, exceptio enim firmat reg-  
 ulam in casibus non exceptis. Prævidit hanc obje-  
 ctionem *Illustr. Hertius*, eamque ut præveniret, di-  
 stinxit inter diversas leges, vel potius distinctionem  
 supra adductam ita declaravit: *Longe maxima pars*  
*legum Romanarum, ait, occupatur circa judicem solum*  
*& Ictum, quas scire privatorum non interest, v. gr. an*  
*impuberes puniantur, & quomodo, & innumera alia, quæ*  
*aliqua interest nescire, aliæ solum Jus Nature explicant*  
*& adjuvant, ubi sufficit, quod Jus Nature vult, nosse,*  
*quid vero Jus voluntarium addiderit, non æque; v. gr.*  
*Ius Nature vetat hominem occidi, vel in ultimam volun-*  
*tatem testatoris peccare: jam si Ius Civile talem judicet*  
*hereditate indignum, qui in voluntatem testatoris pecca-*  
*vit, vel eum occidit, etiamsi ille peccans non noverit, tale*  
*eo jure esse constitutum, recte nihilominus hanc pœnam in-*  
*currat. Sed nec hæc distinctio valido fundamento*  
*nititur; Certum enim est, & nemo unquam dubita-*  
*vit, nec dubitat ipse Hertius, quin testamentum solen-*  
*nitatibus Jure positivo humano requisitis destitutum*  
*nullum sit, adeo, ut ne in conscientia quidem hæres ab*  
*inte-*

Dissert. de  
 collis. LL.  
 Sect. 3, §. 2,



intestato postea succedens testatoris voluntatem in testamento illo declaratam observare teneatur. Habemus itaque hic exemplum legis a voluntate humana provenientis, nec tam ideo positæ, ut iudices informet, quam ut subditis regulam præscribat, juxta quam agant, eamque transgressi pœnæ subdantur, quæ tamen expressa admonitione non indiget. Hæc autem solennitatum in testamentis observandarum necessitas, & statuta, si illæ non observentur, nullitatis pœna tantum abest, ut Juris naturalis sit, ut potius cum sæpius jam laudato DN. Hertio existimem, jure illo ad testamentorum formam non modo nihil requiri, nisi quod naturale est, id est, significationem voluntatis, sed nec eodem jure ullos actus fieri irritos, nisi ob defectum potestatis, materiæ incapacitatem, aut turpitudinem ad hærentem effectui. Aliud exemplum addere lubet, quod eo magis huc spectare videtur, quia ex ipsa S<sup>C</sup>ti Silianiani materia depromptum est. *L. 20. ff. de his, quæ ut indign.* cautum est, quod ei, qui mortem uxoris non defendit, ut indigno dos auferatur; Quam legem ipse *Carpzovius*, qui aliàs S<sup>C</sup>tm Silianianum hodie adhuc in usu esse plane negat, hodiernum vigere tradit. Quod si autem hæc pœna in marito etiam non admonito (admonitionis enim non meminit *Carpzov.*) locum habet, quidni etiam in hæredibus? cum nihil causæ sublit, cur uno in casu valere debeat hoc S<sup>C</sup>tm, in altero non item. Hisce rationibus motus cum illustri Hertio, cujus ego Viri Manes alias summe veneror, hac in re ut facerem, a me impetrare hæcenus non potui. Non dubito quidem fore, qui audaciæ me arguant, quod tyro ego tanti Viri sententiam impugnare non erubescam, sed majoris forte argui possem, si opinionem, quam probare nequeo, defenderem.

*ibid.*

*P. 3. C. m. s. 20.  
Def. 8. n. 2.*

Non



*De Nat. Deor.*  
n. 10.

Non auctoritatibus disputamus, sed rationibus; Imo, uti Cicero loquitur, obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur; desinunt enim suum iudicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident; Nec ex iis esse volui, apud quos tantum praedjudicata opinio potest, ut etiam sine ratione valeat auctoritas.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

- I. Ipsi etiam latronibus servanda fides est.
- II. Recte Grotius de I. B. & P. l. 2. c. 25. § 3. existimat, posse civem innocentem quandoque, si ad exitium ab hoste deprecatur, deserere, eidemque ut periculum totae Civitati imminens evitetur, etiam in vitium tradi.
- III. Negot. gest. ad culpam levissimam tenetur.
- IV. Filiusfam. paterfam. factus si partem debiti solvit, exceptioni Scti Macedon. quoad reliquum renunciasse non censetur.
- V. Qui contra pactum de non alienando rem alienat, dominium non transfert.
- VI. Hodienum adhuc ab antiquis fabulis iura discere nos oportet.
- VII. Fallax est regula §. 3. 1. de Nupt. tradita; Cujus filiam uxorem ducere non licet, neque ejus neptem permittitur.
- VIII. In causa hypothecaria libellus alternative formari non potest.
- IX. Fideicommissa per contractum etiam possunt constitui.






1018

ULB Halle  
007 430 779

3











B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

178

I. N. F.

1720, 3.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
Exhibens

COMMENTATIONEM JURIDICAM  
A D

M. FABII QUINTILIANI  
DECLAMATIONEM I.  
QUAM

SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS  
ex Indultu

MAGNIFICI JURISCONSULTORUM  
IN ALMA ARGENTORATENSIVM  
UNIVERSITATE ORDINIS.

PRO LICENTIA,

Summos in utroque Jure Honores & Privilegia Do-  
ctoralia rite consequendi

SOLENNI *Eruditorum censura*  
submittet

NICOLAUS CHRISTOPH. HERTZOG  
Buxovilla-Hanoicus.

Die 15. Februarij Anno MDCCXX.

ARGENT, Typis SIMONIS KÜRSNER, Cancellar. Typogr.